DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS X. JANUARII.

M. ANTONIO LE MOINE, Doctore Medico, Præſide.

An ſtatim à menſtruorum effluvio concepti, firmioris valetudinis?

UT ad vivendum eò majori actionum diverſitate indiget animal, quò præſtantius eſt: ſic ad benè vivendum earumdem actionum integritate. Hanc firma valetudo optimum vitæ condimentum, efficit: quæ certam quamdam & determinatam partium conſtitutionem requirit, ut cùm à partibus exerceantur actiones, eo modo eliciantur, quo partes diſpoſitæ ſunt. Sed cùm variæ multiplicesque obiri debebant, varia fuit fibrarum ſtructura & diſpoſitio, quæ unione perfectâ mutuò cohærentes, in unum conſpirant, ut partes, & ex his totum corpus, idque ſanum efficiant. In ſtatu naturali permanente corporis fabricâ, ritè functiones obeuntur omnes. Fluidas partes in motum agunt ſolida. Hæc inter & illa naturale ſtat æquilibrium. Viget corpus. Ad hoc laudabilis ſanguinis craſis, ipſius principiorum inter ſe juſſa connexio. Solidorum aſſiduus tritus, alterna Syſtole & Diaſtole. Fluidorum continuus fluxus & indeſinens. Tunc ſanum & vegetum vivit animal. Verùm cave ne ſanitatem, cùm in actionibus debitè obeundis illuceſcat, ab ipſo agendi actu exiſtimes. Sanus eſt non qui debitè actiones iſtas obit, ſed qui poteſt obire, undè ab innatâ potiùs exprimi debet, eas quæ ſecundùm naturam ſunt actiones exercendi potentiâ, à partium omnium naturali conſtitutione dependens.

PARTIUM conſtitutio ut & rerum cæterarum à materiâ quâdam dependet. Materiem duplicem habent naturâ eandem. Partes efformat una, efformatas altera nutrit & conſervat. Illius nomine ſemen utriuſque ſexûs intellige. Seminis muliebris nomine ovum. Hoc in actum exerit maris ſemen. Particulis ſubtilioribus ſanguini ſeſe immiſcet. Ipſius circulatorio motu ad ovulum defertur. Ovi veluti conſopita fluida exagitat. Animatum ovum, ſicque jam procreatum animal nutrit albumen ovi, liquor in amnio contentus. Simili toto vitæ curriculo liquore nutritur, lymphâ fibroſâ ſanguinis parte. Pro variâ alimenti qualitate, varia ſanguinis craſis, varia ſolidorum diſpoſitio, diverſa totius corporis fabrica. Corporis animalis œconomia ſolidis & fluidis regitur. Ab utriſque ſanitas & firma valetudo, nam ταῦτ' ἐςὶν ἡ φύσις τȣ͂ σώματος ϗ διὰ ταῦτα ἀλγέει ϗ ὑγιαίνει. Ut autem multùm ad illam conſervandam quibus alimentis nutriaris, intereſt: nam quales cibi, tales ſucci, qui licèt in partium ſubſtantiam alterentur, eam tamen quam ab alimentis mutuati ſunt qualitatem ſucceſſione temporis, iiſdem partibus imprimunt: ſic longè magis, quibuſnam humoribus ſis conformatus, ſi quam enim in ſe labem habeant, ita fortiter eandem partibus imprimunt, ut toto vitæ curriculo deleri vix poſſit.

AD firmam illam valetudinem nativamque ſanitatem, ex ſanis parentibus & in ætate florenti conſtitutis procreari ſatis eſſe non credas. Quandiù fœtus in utero continetur, alimento opus habet, cujùs in ſingulis partibus eò fortior impreſſio, quò diuturnior. Huic ſubminiſtrando deſtinata fœmina, quam ideò frigidiorem effinxit natura. Hæc quòd tanquam naturæ tributum & vectigal aliquod ſingulis menſibus alio quàm graviditatis & lactationis tempore ſoleat ab utero per vaſorum ἀναςώμωσιν effluere, menſtruus ſanguis dictus eſt, plethoræ & tritûs effectus. Flores etiam apud mulieres nuncupatur, quod & in primo juventutis flore, fructuum & fœcunditatis index, ipſas floridas non decolores & cachecticas reddat: tantis enim commodis illas beat, ut ipſi Deam aliquam Præſidem Fluoniam dictam finxerint veteres. Mulieribus non ita propria hæc evacuatio, quin & viris quibuſdam accidat: ſed ut eos mulieroſiſſimos reddit: ita ſi ſupprimatur in mulieribus, has pilis & barbâ creſcentibus, viris aliquando ſimiles facit. Toto vitæ tempore non perdurat, certis enim ſpatiis & incipit & deſinit; de quibus nihil audeas decernere, ut nec de quantitate, quæ conſuetùdine potiùs & εὐφορίᾳ, quàm heminis Atticis, aut libris Pariſienſibus definienda. Uberiùs illæ purgantur quæ graciliores ac ſanguineæ, fuſcæ, πολυφάγαι, οἰνοπόται, quæ ſub regione frigidiſſimâ degunt, ac Veneri crebriùs indulgent: Ad hanc enim ut ad concipiendum omni tempore mulier paratiſſima, licèt illo faciliùs peragi ſoleat conceptio, quo natura vel ſanguinem illum excrevit, vel ſeſe ad excernendum accingit.

CUM uterus, licèt illecebroſæ voluptatis ſedes, ſit veluti ſentina & cloaca, in quam natura totius corporis ſedes & inquinamenta commodè propter ſitum inferiorem demittit; menſtruis effluentibus aut effluxuris, criſpatis tunc fibris, & ad redundantem ſanguinem expellendum diſpoſitis, meatibuſque magis apertis, copioſiori pravorum humorum fœdatur illuvie: Hinc, ſi generationem intendas, cùm ſani potiùs, quàm ſexu vel individuo ſimilis, debeas intendere; non niſi poſt menſtruorum effluvium, expurgato ſordibus ab iſtis utero, conceptionem exoptes. Tunc temporis purior ad ovum allabitur ſanguis, & inde fœtui purius, per totum etiam graviditatis tempus, alimentum ſuppeditatur. Nec putes aliàs impuriori portione derelictâ, ſugi duntaxat ab infante puriorem. Hæc enim propter continuitatem & contagium, etiam ſi qua eſt, corrumpitur, malignamque qualitatem acquirit ob copiam ac moram in utero, quæ major eſt & diuturnior in his quæ ante menſtruorum eruptionem concipiunt. Unde cùm omnia quæ gravidis accidere ſolent ſymptomata, retentis à menſibus oriantur, magis in iſtis exacerbata ſævient, majus igitur ciborum à quibus optimus fit ſanguis, faſtidium, rerumque noxiarum & horrendarum planè depravatus magis appetitus ille picaceus, & pejor indè ac ferè venenata cacochymia ſuccreſcet, non fœtæ tantùm, ſed & fœtui pernicioſa.

AN adeò intemperantiæ & voluptati ſervies, ut nullâ liberorum habitâ ratione, illud omne tempus, quo libidinis æſtro percitus es, generationi feliciſſimæ commodùm arbitreris? Non-ne fuit ea ſemper naturæ lex, ut flores fructibus præmittantur? Uterus campus ille naturæ feraciſſimus ſanguineo perfuſus & irroratus imbre, pravâ jam omni labe repurgatus, Veneris appetens avidè ſemen recipit, & fœtum blando ſanguine fovet ac nutrit, quod alio tempore ſuffocaret & obrueret; ita ut quæ menſtruis erumpentibus, aut jamjam erupturis fiat conceptio, vel inanis, vel ad abortum paratiſſima, vel toto vitæ tempore debilis poſſit evadere. Sanguine quidem fœtus indiget, ſed non tantâ copiâ quâ ſolet ante menſtrui ſanguinis effluxum coacervari; hæc enim in quibuſdam ſterilitatis cauſa, cum ipſis cruenta vomitio proſit ad concipiendum. Robuſtos & valentes fœtus viragines & laborioſæ mulieres edunt, quæ multum ſanguinis diſcutiunt: quibus etiam nunquam fluxêre, fœtui quod neceſſarium eſt ſuppeditant, redundanti non opprimunt. Ut igitur crudus, impurus & imperfectus ſanguis, qualis propter exuberantiam, humorum per patentes ductus ruentium impetum & motus per decliviora facilitatem, ſolet eſſe qui jam effluit, vel effluxurus eſt, non tantùm frigidam & humidam, ideòque à ſanitate perfectâ deflectentem intemperiem inducit, ſed ipſa ſeminis principia obruit & obtundit; ita repurgatus, tùm crudiore portione, tùm quantitate detractâ, embrioni nutrimentum idoneum ſuppeditat, & ſalubriori nutritione ovi principia exſuſcitat, ſicque functiones omnes perbellè exercentur, excrementa debitè excernuntur, tolluntur morborum cauſæ, & longæ perfectæque ſanitatis, ac firmæ valetudinis firmamenta conſtituuntur.

Ergo ſtatim à menſtruorum effluvio concepti, firmioris valetudinis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Franciſcus Giot.
M. Franciſcus-Antonius le Dran.
M. Antonius le Moine, Actûs Moderator.
M. Petrus-Antonius Lepy.
M. Elias Col de Vilars.
M. Henricus Beſnier.
M. Andreas Creſſé.
M. Armandus-Joſeph Collot.
M. Philippus Caron.

Proponebat Pariſiis JACOBUS-PHILIPPUS DAVIER DE BREVILLE, Pariſinus, Baccal. Medicus, A.R.S.H. MDCCXV.

Typis J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.